



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1508. usque ad annum 1513

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118456

§. 73. Ludovicus XII. Mediolani Ducatum ipse recuperare statuit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66433)

Sæcul. XVI. **A.C. 1513.** rogabatur, edita hanc in rem Bulla die vigesima Maji; præstolabantur enim Patres adventum Legatorum Sigismundi Poloniæ Regis. Posthæc præter Cardinales quidam nominabantur Prælati scientiarum laude conspicui, qui de opportunis, quibus negotia proxime proponenda feliciter terminari possent, mediis præsentate summo Pontifice suas edicerent sententias. Acceptabantur quoque Brixienfis, Conimbricensis, Viterbiensis, & Misnienfis Episcoporum mandata, vi quorum Procuratoribus suo nomine Synodo assistendi potestatem dabant: die autem tertia Junii Prælati in tres classes dividebantur, in quarum prima ageretur de iis, quæ spectant ad pacem inter Christianos Principes componendam, necnon ad extirpationem schismatis; in secunda tractarentur ea, quæ fidem concernunt: in tertia demum, quæ respiciunt correctionem morum, & Pragmaticæ sanctionis abolendæ media. Horum Deputatorum nomina in actis Concilii leguntur, cunctaque hæc puncta in sequentibus Sessionibus expedita fuere.

§. LXXIII.

*Ludovicus XII. Mediolani Ducatum
ipsum recuperare statuit.*

Conc. 1. 10. Interea Ludovicus Galliarum Rex fœderis nuper cum Venetis sanciti fiducia erectus,

Sæcul. XVI.
A.C. 1513.

erectus, ipse inter primas agminis sui legiones Alpes superare, animo constituit. Opportune etiam accepit nuncium, Mediolanenses, qui primo Maximilianum Sfortiam ambabus ulnis exceperant, jam regiminis sui pertæsos esse, cum ab Helvetiis, atque Hispanis durius habiti, omnibusque bonis jamjam exspoliati, adhuc tamen acerbè vexarentur, ac insuper Helveticæ genti vectigales fierent. Præterea sub idem tempus Regem clam adiebant Mediolanensium Deputati, significantes, cives ultro urbis portas aperturos, si cum valido milite, vel Rex ipse vel ipsius nomine inclytus quidam Bellidux promptè accurreret. Ludovicus moræ impatiens, e vestigio Lugduno, ubi tum agebat, movisset, Alpesque superasset, nisi edoctus fuisset, Henricum Angliæ Regem a Fœderatis Principibus in suscepto belli proposito adversus Gallos omni ope & opera firmari, spemque potentissimi auxilii eidem factam esse, hacque super re supremum Angliæ Senatam fuisse convocatum, atque eum pacis, quam Henricus VII. Regno procurasset, tædio affectum, nil ardentius, quam bellum exoptare, jamque Henrico VIII. admodum numerosa pecuniarum subsidia fuisse concessa.